



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De pr[a]ecipuo actu fortitudinis, scilicet martyrio. Qu[a]estio 124.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

quarta, temperantia; & post has cæteræ virtutes.

Ad primum ergo dicendum, quod Ambrosius fortitudinem alijs virtutibus præfert, secundum quamdam generalem utilitatem: prout scilicet & in rebus bellicis, & in rebus civilibus, siue domesticis utilis est. Vnde ipse ibidem* præmittit; Nunc de fortitudine tractemus, quæ velut excellior cæteris, diuiditur in res bellicas & domesticas.

*lib. 1. de
off. c. 35.
in princ.
to. 1.*

Ad secundum dicendum, quod ratio virtutis magis consistit in bono quam in difficili. Vnde magis est mensuranda magnitudo virtutis secundum rationem boni, quam secundum rationem difficili.

Ad tertium dicendum, quod homo non exponit personam suam mortis periculis, nisi propter iustitiam conseruandam. Et ideo laus fortitudinis dependet quodammodo ex iustitia. Vnde Ambrosius* dicit in primo de offic. quod fortitudo sine iustitia iniquitatis est materia. Quo enim validior est, eò promptior ut inferiorem opprimat.

*c. 25. ante
med. to. 1*

Quartum concedimus.

Ad quintum dicendum, quod liberalitas utilis est in quibusdam particularibus beneficijs: sed fortitudo habet utilitatem generalem ad conseruandum totum iustitiæ ordinem. Et ideo Philosophus* dicit in primo Rhet. quod iusti & fortes maxime amantur, quia sunt maxime utiles in bello, & in pace.

*ca. 9. non
multū à
prin. to. 6*

QVÆST. CXXIV.

De Martyrio, in quinque articulos diuisa.

Dinde considerandum est de martyrio.

- D** Et circa hoc quæruntur quinque.
- ¶ Primo, verum martyrium sit actus virtutis?
 - ¶ Secundo, cuius virtutis sit actus.
 - ¶ Terrio, de perfectione huius actus.
 - ¶ Quarto, de poena martyrij.
 - ¶ Quinto, de causa.

Vtrum martyrrium sit actus virtutis?

629 **A**D primum sic proceditur. Videtur, quod martyrrium non sit actus virtutis. Omnis enim actus virtutis est voluntarius. Sed martyrrium quandoque non est voluntarium, ut patet de innocentibus pro Christo occisis, de quibus dicit * Hilar. super Matth. quod in æternitatis profectum per martyrij gloriam efferebantur. Ergo martyrrium non est actus virtutis.

*Can. 1. in
fn. illius.**q. 64. a. 5.**ca. 26. in
princ. to-
mo 5.*

¶ 2. Præterea, Nullum illicitum est actus virtutis. Sed occidere seipsum est illicitum, ut supra habitum est*; per quod tamen martyrrium consummatur. Dicit enim Aug. in 1. de * Ciuit. Dei, quod quædam sanctæ femine tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitie deuitarent, se in fluuium deiecerunt, eoque modo defunctæ sunt: earumque martyria in Catholica Ecclesia etiam veneratione celeberrima frequenterantur. Non ergo martyrrium est actus virtutis.

¶ 3. Præterea, Laudabile est, quod aliquis sponte se offerat ad exequendum actum virtutis. Sed non est laudabile, quod aliquis martyrio se ingerat: sed magis videtur esse præsumptuosum & periculosum. Non ergo martyrrium est actus virtutis.

SED contra est, quod præmium beatitudinis non debetur, nisi actui virtutis. Debetur autem martyrio, secundum illud Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ergo martyrrium est actus virtutis.

*a. 12. præ.
& 11. 11.**ar. ult. q.
præ. 9.
q. 109. a.
1.*

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est*, ad virtutem pertinet quod aliquis in bono rationis conseruetur. Consistit autem bonum rationis in veritate, sicut in proprio obiecto: & in iustitia, sicut in proprio effectu, sicut ex supradiçis* patet. Pertinet autem ad rationem martyrij, ut aliquis firmiter stet in veritate & iustitia contra persequentium impetus. Unde manifestum est quod martyrrium est actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam dixerunt, quod

quòd in innocentibus acceleratus est miraculosè liberari arbitrij vsus, ita quòd etiam voluntariè martyrium passi sunt. Sed quia hoc per auctoritatem scripturæ non comprobatur, ideo melius dicendum est, quòd martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occisi, per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum, vicem gerit baptismatis. Vnde sicut in pueris baptizatis, per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occisis propter Christum, meritum martyrij Christi operatur ad palmam martyrij consequendam. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania, quasi eos alloquens, ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam paruulis baptismum prodesse non æstimat Christi. Non habebatis ætatem, quam in passurum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis,

Ad secundum dicendum, quòd sicut August. ibidem * dicit, esse possibile quòd aliquibus fide dignis reificationibus diuina persuasit auctoritas Ecclesie, vt dictarum sanctarum memoriam honoraret.

Ad tertium dicendum, quòd præcepta legis dantur de actibus virtutum. Dicitur autem est * supra, quædam præcepta legis diuinæ tradita esse secundum præparationem animi, vt scilicet homo sit paratus hoc vel illud facere cum fuerit opportunum: ita etiam & aliqua pertinent ad actum virtutis secundum præparationem animi, vt scilicet superueniente tali casu, homo secundum rationem agat. Et hoc præcipuè videtur obseruandum in martyrio, quod consistit in debita sustinentia passionum iniuste infligarum. Non autem debet homo occasionem dare alteri iniuste agendi: sed si alius iniuste egerit, ipse moderatè tolerare debet.

*l. 1. de sp.
ui. Dei, c.
c. 26. cir.
prin. t. 5.
q. 108. a.
r. ad 4.*

Vtrum martyrîum sit actus fortitudinis?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod martyrîum non sit actus fortitudinis. Dicitur enim martyr in Græco, quasi testis. Testimonium autem redditur fidei Christi, secundum illud Act. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem, &c. Et Maximus dicit in quodam sermone, Mater martyrîi est fides catholica, in qua illustres athletæ suo sanguine subscripserunt. Ergo martyrîum est potius actus fidei quàm fortitudinis.

¶ 2 Præterea, Actus laudabilis ad illam virtutem præcipuè pertinet, quæ ad ipsum inclinatur, & quæ ab ipso manifestatur, & sine qua ipse non valet. Sed ad martyrîum præcipuè inclinatur charitas: unde in quodam sermone Maximi dicitur, Charitas Christi in martyrîbus suis visitur, Maxime etiã charitas per actum martyrîi manifestatur, secundum illud Ioann. 15. Maiorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sine charitate etiam martyrîum nihil valet, secundum illud primæ ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ergo martyrîum magis est actus charitatis, quàm fortitudinis.

¶ 3 Præterea, August. dicit in quodam sermone de sancto Cypriano, Facile est martyrem celebrando venerari, magnum verò fidem eius & patientiam imitari. Sed in vnoquoque actu virtutis præcipuè laudatur virtus cuius est actus. Ergo martyrîum magis est actus patientiæ, quàm fortitudinis.

SED contra est, quod Cyprianus * dicit in epistola ad martyres & confessores, O beati martyres, quibus vos laudibus prædicem? O milites fortissimi, robur corporis vestri quo præconio vocis explicem? Quilibet autem laudatur ex virtute cuius actum exercet. Ergo martyrîum est actus fortitudinis.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex supradictis * patet, ad fortitudinem pertinet ut confirmet hominem in bono virtutis, & maxime contra peccata,

*in l. 2. ep.
ep. 6. nō
remotē a
princip.*

*q. præc. a.
2. et alijs*

ricula, & præcipuè contra pericula mortis, & maximè eius quæ est in bello. Manifestum est autem, quòd in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem & iustitiam non deserit propter imminetia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminet. Vnde Cyprianus dicit* in quodam sermone, Vidit admirans præ-

in l. 2. ep. epi. 6. ad martyres & confesores, non remouit a princip.

sentium multitudo celeste certamen, & in prælio stetit seruos Christi voce libera, mente incorrupta, virtute diuina. Vnde manifestum est, quòd martyrium est fortitudinis actus. Et propter hoc de martyribus legit ecclesia, Fortes facti sunt in bello. Ad primum ergo dicendum, quòd in actu fortitudinis duo sunt consideranda, quorum vnum est bonum in quo fortis firmatur: & hoc est fortitudinis finis. Aliud est ipsa firmitas, quæ quis non cedit contrarijs prohibentibus ab illo bono: & in hoc consistit essentia fortitudinis. Sicut autem fortitudo ciuilis firmat animum hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem mortis pericula sustinet: ita etiam fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono iustitiæ Dei, quæ est per fidem Iesu Christi, vt dicitur ad Rom. 3. Et sic martyrium comparatur ad fidem sicut ad finem in quo aliquis confirmatur: ad fortitudinem autem sicut ad habitum elicientem.

Ad secundum dicendum, quòd ad actum martyrij inclinat quidem charitas, sicut primum & principale motiuum, per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motiuum proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde est quòd martyrium est actus charitatis vt imperantis, fortitudinis autem vt elicientis: inde etiam est, quòd vtramque virtutem manifestat. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus: & ideo sine charitate non valet.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum* est, principalior actus fortitudinis est sustinere: ad quem pertinet martyrium, non autem ad secundarium actum eius,

q. præc. ar. 6.

44 QVÆST. CXXIV. ART. III.
eius, qui est aggredi. Et quia patientia deferuit fortitudini ex parte actus principalis, qui est sustinere: inde est quod concomitanter in martyribus patientia commendatur.

ARTIC. III.

631 *ius. 9. 184 a. 5. ad 3* *Utrum martirium sit actus maxima perfectionis?*
AD tertium sic proceditur. Videtur, quod martirium non sit actus maximæ perfectionis. Illud enim ad perfectionem videtur pertinere, quod cadit sub consilio, non sub præcepto, quia scilicet non est de necessitate salutis. Sed martirium videtur esse de necessitate salutis. Dicit enim Apostolus ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et 1. Ioann. 3. dicitur, quod nos debemus pro fratribus animas nostras ponere. Ergo martirium non pertinet ad perfectionem.

¶ 2. Præterea, Ad maiorem perfectionem videtur pertinere, quod aliquis det Deo animam, quod fit per obedientiam; quam quod Deo det proprium corpus, quod fit per martirium. Unde Gregor. * dicit ultim Moral. quod obedientia cunctis vicinis præferatur. Ergo martiriū non est actus maximæ perfectionis.

¶ 3. Præterea, Melius esse videtur alijs prodesse, quam seipsum in bono conseruare: quia bonum gentis melius est quam bonum vnius hominis, secundum Philos. in * 1. Ethic. Sed ille qui martirium sustinet, sibi soli prodest: ille autem qui docet, proficit multis. Ergo actus docendi & gubernandi subditos est perfectior, quam actus martirij.

¶ 4. SED contra est, quod Augustinus * in lib. de sancta virginitate, præfert martirium virginitati, quæ ad perfectionem pertinet. Ergo martirium maximè ad perfectionem pertinere videtur.

RESPONDEO dicendum, quod de aliquo actu virtutis loqui possumus dupliciter. Vno modo secundum speciem ipsius actus, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipsum: & sic non potest esse quod martirium quod consistit in debita tolerantia, mer-

mortis, sit perfectissimus inter virtutis actus: quia tolerare mortem non est laudabile secundum se, sed solum secundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis: puta ad fidem, & ad dilectionem Dei. Unde ille actus virtutis, cum sit finis, melior est. Alio modo potest considerari actus virtutis, secundum quod comparatur ad primum motum, quod est amor charitatis. Et ex hac parte precipue aliquis actus habet quod ad perfectionem vite pertinet: quia ut Apostolus dicit ad Coloss. 3. Charitas est vinculum perfectionis. Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem charitatis: quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem quod inter omnia alia bona presentis vite maxime amat homo ipsam vitam, & e contrario, maxime odit ipsam mortem; & precipue cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia a maximis voluptatibus abstrahuntur: ut Augustinus * dicit in lib. 8. quæst. Et secundum hoc patet, quod martyrium inter ceteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, quasi maximæ charitatis signum, secundum illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

l. 83. q. 9.
36. inter
prin. &
med. t. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod nullus est actus perfectionis sub consilio cadens, qui in aliquo euentu non cadat sub precepto, quasi de necessitate salutis existens: sicut Augustinus * dicit in libro de adulterinis coniugijs, quod aliquis incidit in necessitatem continentie seruandæ propter absentiam vel infirmitatem vxoris. Et ideo non est contra perfectionem martyrij, si in aliquo casu sit de necessitate salutis. Est enim aliquis casus in quo martyrium perferre non est de necessitate salutis: puta, cum ex zelo fidei & charitate fraterna multotiens leguntur sancti martyres sponte se obtulisse martyrio. Illa autem

l. 13. t. 6.

autem

for-
ere :
entia
?
mar-
llud
cadit
n est
se de
o, ro.
io fit
emus
rium
detur
od sic
cor-
dicit
refer-
ionis.
se,
gen-
ndum
aet, si-
ultis.
perfe-
e fan-
uz ad
me ad
o adu
secun-
virtu-
esse
antia,
er-

46 QVÆST. CXXIV. ART. IV.
autem præcepta sunt intelligenda secundum præpara-
tionem animi.

Ad secundum dicendum, quod martyrium comple-
ditur id quod summum in obedientia esse potest, ut
scilicet aliquis sit obediens usque ad mortem: sicut le-
gitur de Christo ad Philip. 2. quod factus est obediens
usque ad mortem. Unde patet quod martyrium secun-
dum se est perfectius, quam obedientia absolute dicta.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit
de martyrio secundum propriam speciem actus, ex
qua non habet excellentiam inter omnes actus virtutum,
sicut nec fortitudo est excellentior inter omnes
virtutes.

ARTIC. I V.

632

Vtrum mors sit de ratione martyrij?

4. dis. 49.

q. 5. ar. 3.

q. 2.

* inter

med. et fi.

incipit:

Cogitis

me o Pass

la. t. 2.

† Gre Ho.

3 i Iuan.

in fine.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod mors
non sit de ratione martyrij. Dicit enim Hier. *
in sermone de assumptione, Rectè dixerim quod Dei
genitrix virgo & martyr fuit, quamvis in pace vitam
finiuerit. Et Greg. † dicit, Quamvis occasio persecutio-
nis desit, habet tamen & pax nostra martyrium suum:
quia etsi carnis colla ferro non subiicimus, spiritali
tamen gladio carnalia in desideria mente trucidamus.
Ergo absque passione mortis potest esse mar-
tyrium.

¶ 2 Præterea, Pro integritate carnis seruanda ali-
quæ mulieres leguntur laudabiliter contempisse vi-
tam suam: & ita videtur quod corporalis integritas ca-
stitatis præferatur vitæ corporali. Sed quandoque ip-
sa integritas carnis auferitur, aut auferri intetatur, pro
confessione fidei Christianæ, ut patet de Agnete & Lu-
cia. Ergo videtur, quod martyrium magis debeat dici,
si aliqua mulier pro fide Christi integritatem car-
nis perdat, quam si etiam perderet corporalem vi-
tam. Unde & Lucia dixit, Si me inuitam feceris vio-
lari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.

¶ 3 Præterea, Martyrium est fortitudinis actus. Ad
fortitudinem autem pertinet non solum mortem non
sor-

formidare, sed nec alias aduersitates, vt August. * dicit in sexto musica. Sed multæ sunt aliæ aduersitates præter mortem, quas aliqui possunt sustinere pro fide Christi, scilicet carcerem, exilium, rapinam bonorum: vt patet ad Hebr. 10. Vnde & sancti Marcelli Papæ martyrium celebratur; qui tamen fuit mortuus in carcere. Ergo non est de martyrij necessitate quòd aliquis sustineat poenam mortis.

*l. 6. c. 15.
à me. s. 1.*

¶ 4 Præterea, Martyrium est actus meritorius, vt dictum est. Sed actus meritorius non potest esse post mortem. Ergo ante mortem: & ita mors non est de ratione martyrij.

*ar. præc.
c. 2. ad
2. arg.*

SED contra est, quod Maximus dicit in quodam sermone de martyre, quòd vincit pro fide moriendo, qui vinceretur sine fide viuendo.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est, martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur, vt dicitur ad Hebr. 11. Ad martyrium ergo pertinet vt homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, vt ad futura & inuisibilia bona perueniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despiciere. Consueuerunt enim homines & confanguineos & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conseruent. Vnde & Satan contra Iob induxit, Pelle pro pelle, & cuncta quæ homo habet dabit pro anima sua, id est, pro vita sua corporali. Et ideo ad perfectam rationem martyrij requiritur, quòd aliquis mortem sustineat propter Christum.

*ex art. 2.
huius q.
elicitur.*

Ad primum ergo dicendum, quòd illæ auctoritates, & si quæ similes inueniuntur, loquuntur de martyrio per quandam similitudinem.

Ad secundum dicendum, quòd in muliere quæ integritatem carnis perdit, vel ad perdendam eam damnatur occasione fidei Christianæ, non est apud homines manifestum, vtum hoc mulier patitur propter

amo-

amorem fidei Christianæ, vel magis pro contemptu ca-
stitatis : & ideo apud homines non redditur per hoc
testimonium sufficiens. Vnde hoc non propriè habet ra-
tionem martyrij. Sed apud Deum qui corda scrutatur
potest hoc ad præmium deputari, sicut Lucia dixit.

9. præ. a.
4. & 5.

Ad tertium dicendum, quòd sicut supra * dictum
est, fortitudo principaliter consistit circa pericula
mortis : circa alia autem, consequenter. Et ideo nec
martyrium propriè dicitur pro sola tolerantia carceris,
vel exilij, vel rapinæ diuitiarum, nisi fortè se-
cundum quod ex his sequitur mors.

Ad quartum dicendum, quòd meritum martyrij
non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinen-
tia mortis, prout scilicet aliquis voluntariè patitur in-
flictionem mortis. Contingit tamen quandoque, quòd
aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta,
vel quascumque alias tribulationes continuatas vsque
ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide
Christi, diu viuat : in quo statu actus martyrij meri-
torius est, & etiam ipso eodem tempore quo huius-
modi afflictiones patitur.

ARTIC. V.

633

Virum sola fides sit causa martyrij?

4. dif. 49.
9. 5. a. 3.
9. 2. co. et
ad 9. 10.
6. 12. Et
Ro. 8. le.
7. co. 3. fi.

Ad quintum sic proceditur. Viderur, quòd sola
fides sit causa martyrij. Dicitur enim 1. Petri 4.
Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut
fur, aut aliquid huiusmodi. Si autem vt Christianus,
non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.
Sed ex hoc dicitur aliquis Christianus, quia tenet fi-
dem Christi. Ergo sola fides Christi dat patientibus
martyrij gloriam.

¶ 2. Præterea, Martyr dicitur quasi testis: testimo-
nium autem non redditur nisi veritati. Non autem ali-
quis dicitur martyr ex testimonio cuiuslibet verita-
tis, sed solum ex testimonio veritatis diuinæ. Alioquin
si quis moreretur pro confessione veritatis geometri-
cæ, vel alterius speculatiuæ sciētiz, esset martyr: quod
videtur ridiculum. Ergo sola fides est martyrij causa.

¶ 3. Præ-

¶ 3 Præterea, inter alia virtutum opera illa videntur esse potiora quæ ordinantur ad bonum commune: quia bonum gentis melius est, quam bonum unius hominis, secundum * Philosophum in 1. Ethic. Si ergo aliquod aliud bonum esset causa martyrij, maxime videretur quod illi essent martyres, qui pro defensione Reipublicæ moriuntur. Quod Ecclesiæ observatio non habet: non enim militum qui in bello iusto moriuntur, martyria celebrantur. Ergo sola fides videretur esse martyrij causa.

c. 2. in ff. 10. 5.

SE D contra est, quod dicitur Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam: quod pertinet ad martyrium, ut * Gloss. ibidem dicit. Ad iusticiam autem pertinet non solum fides, sed etiam aliæ virtutes. Ergo & aliæ virtutes possunt esse martyrij causa.

Ex gloss. Hiero in huc locū hincur, 9

RESPONDEO dicendum, quod sicut * dictum est, martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuiquamque, sed veritati quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Vnde & martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei: & ideo cuiuslibet martyrij causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio: quæ quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Iaco. 2. Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Vnde & de quibusdam dicitur ad Titum 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et ideo omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & secundum hoc possunt esse martyrij causa. Vnde & Beati Iohannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro

ar. præc.

Sec. Sec. Vol. iij.

D re-

reprehensione adulterij, mortem sustinuit.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christianus dicitur qui Christi est. Dicitur autem aliquis esse Christi, non solum ex eo quòd habet fidem Christi, sed etiam ex eo quòd Spiritu Christi ad opera virtuosa procedit: secundum illud ad Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et etiam ex hoc quòd ad imitationem Christi peccatis moritur, secundum illud ad Galat 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Et ideo ut Christianus patitur non solum qui patitur pro fidei confessione, quæ fit per verba, sed etiam quicumque patitur pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Christum: quia hoc totum pertinet ad fidei protestationem.

Ad secundum dicendum, quòd veritas aliarum scientiarum non pertinet ad cultum diuinitatis: & ideo non dicitur esse veritas secundum pietatem. unde nec eius confessio potest esse directe martyrij causa. Sed quia omne mendacium peccatum est, ut supra habitum * est, vitatio mendacij contra quamcumque veritatem fit, in quantum mendacium est peccatum diuinæ legi contrarium, potest esse martyrij causa.

q. 100. 4.
3.

Ad tertium dicendum, quòd bonum Reipublicæ est præcipuum inter bona humana: sed bonum diuinum, quod est propria causa martyrij, est potius quàm humanum. Quia tamè bonum humanum potest effici diuinum, ut si referatur in Deum: ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrij causa secundum quod in Deum refertur.

QVÆSTIO CXXV.

De timore, in quatuor articulos diuisa.

Dinde considerandum est de vitijs oppositis fortitudini. Et primò, de timore. Secundò, de intimiditate. Tertiò, de audacia.

¶ Circa primum queruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum timor sit peccatum?

¶ Secundo, vtrum opponatur fortitudini?

¶ Ter-